









7033. 7  
1711 18<sup>a</sup>  
**DECANUS**  
**ORDINIS JURIDICI**  
IN ACADEMIA VVITTEMBERGENSI,  
**CASPAR HENRICUS**  
**HORNIUS, JC.**

Codicis Prof. Publ. Consiliarius Regius,  
& Electoralis in Senatu Provocationum,  
nec non Collegiorum Juridicorum, quæ hic sunt,  
Assessor,

LECTURIS OMNIBUS

S. P. D.

DEGANUS  
ORDINIS JURIDICI  
IN ACADEMIA ALTMERSENI  
CASPAR HENRICI  
HORNUS IC.

Codice Holtz Apel. Collationis Regiae  
et Theologiae in puncto loco et ratione  
secundum Codicem Ignatii, que sic  
Anthon.

LECTURIS OMNIBUS

A



Vi in patriarcharum rerum monumen-  
tis versati sunt, illis tabulæ istæ  
solennes nequeunt ignotæ esse,  
quibus investitio comprehensa,  
qua Fridericus II. Cæsar Comiti-  
am Palatii Saxonici, Landgra-  
viam Thuringie, aliaque beneficia,  
quæ eo tempore Henricus Thuringus, vivus adhuc,  
posidebat, in casum, si hic sine filio herede præmo-  
retur, Henrico Misniæ Marchioni, illustri vulgo co-  
gnominato, non promisit tantum, sed reapse contu-  
lit, ac concessit. Quæ collatio, ut alibi asseruimus, Diffr. de  
non intra terminos simplicis *expectativæ*, quam di-  
Comitib.  
cunt, substituit, verum investituræ, quæ abusiva apud  
Palat.  
nostros vocatur, habuit rationem. Nobile hoc mo-  
Sax. noſtr.  
numentum, quod fons, & origo est multorum jurium  
rerumque, quibus inclyta Domus Saxonica nostra  
gaudet, vulgavit jam anno seculi præterlapsi  
LXXIX. per celebris Vir, Georgius Schubartus in  
exercitatione historica *de Comitibus Palatinis Cæſa-* p. 189. 190.  
*reis*, sicut e museo viri prudentia, & rerum geren-  
darum dexteritate excellentissimi, Jacobi Henrici  
Heidenreichii, Consiliarii quondam in Aula Saxo-  
Gothana, Confistoriique Præfidis illud communica-  
tum accepit. Paulo post anno scil. LXXX. Anto-  
nius VVleckius, vir Saxoniarum rerum peritissimus,  
descriptioni ſuæ *Urbis Dresdensis*, id attexit, addi- P. II. T. I.  
to etiam typo ſigilli Imperatorii: id quod ſatis argu- P. 53. 54.

menti est, viro huic avthenticum exemplar in tabulario VVittebergensi inspicere licuisse. Præter hos vero, vel ante eos, an quis alias hoc diploma integrum scriptis suis inseruerit, compertum nobis non est; quamvis multi postea ad illud passim soleant provocare. Evidem *Schubartus* videre se scribit, eas tabulas a *Melchiore Goldasto* falso tribui *Alberto II. Ascanio*: sed locum non indicat, nec addit, num tabulæ, vel saltæ pars illarum a *Goldasto* publici juris facta? Imo id non factum esse, verba *Schubarti* indicare videntur. Inter alia vero, quæ quæ iis continentur, & peculiarem merentur animadversionem, & illud est, quod *Henricus Landgravius Thuringiae*, qui in annalibus *Raspe* vocari solet, axiomatice *Procuratoris Germaniae* insigniatur. Non piget verba, quæ huc pertinent, adjicere; nam operæ pretium non deerit. Ita autem habent: *Considerantes etiam avunculi tui Henrici Landgravii Thuringiae, Comitis Palatini Saxoniae, dilecti consanguinei nostri, Procuratoris Germaniae, dilecti filii nostri Conradi Romanorum in Regem electi petitionem, quam ad nos etiam per suas literas, & per Theodoricum de Rodenstädt Camerarium suum fecit, cuius justis precibus inclinati &c.* Aliud diploma ipsius *Henrici* eodem anno, quo Imperiorum datum scil. XLII. seculi XIII. Sagittarius producit in *Dissertatione de Henrico*, hoc initio: *Nos Henricus Dei gratia Landgravius Thuringie, Comes*

p. 43.

mes Palatinus Saxonie, & Sacri Imperii per Germaniam Procurator. Alius etiam chartæ anni XLIII. De libert. eccles. mentionem faciunt Schilterus in libris, quas de libertate ecclesiæ Germaniæ scripsit, & Tenzelius Lib. V. c. 7. Part. II. p. 588. in Supplementis Historie Gothanae. Quid autem hoc axioma Procuratoris Germaniæ, vel Procuratoris Sacri Imperii per Germaniam sibi voluerit, & quid procuratio ista habuerit in recessu, apud omnes non adeo est expeditum. Plane ipse Schilterus, in rebus hisce versatissimus vir, fatetur, quæ functio hæc fuerit, & a quo constitutio facta, se nondum traditum reperisse. Videtur tamen laudato viro, fuisse illud officium Vicarii, aut locum tenentis, ut postea dicere consuevit: in qua sententia, in commentario ad jus feudale, Alemannicum subsistit. Assentientem habet Schubartum, qui hanc Cap. 42. §. 7. in fin. procreationem insignem honorem appellat, Palatinatus fere connexum. Quibus adstipulantur Sagittarius, ac Paulinus percelebres, & diligentissimi viri, ac ille quidem in *Dissertatione de Henrico*, hic vero in *Annalibus Isenacensibus*. Nec improbat Tenzelius, p. 43. solertissimus scrutator rerum patriarcharum, loco quem modo excitavimus, hanc sententiam, quæ auctoribus istis placuit. Nullam video & ego causam, cur ab eadem recedendum sit. Primo non aliena est hæc opinio a vi vocis, sive puriore, sive etiam medii ævi respicias latitudinem. Verbum enim *procurare* apud illos, qui Latio ore loquuntur, & veteres qui-

dem, nativa sua vi nihil aliud significat, quam *admnistrare*. Unde, qui aliena negotia suscipiunt, & tractant, *procuratores* dicuntur. Neque tantum ad res privatas, sed etiam publicas pertinet; ex quo *procu-*

*rare rem publicam* Nepos dixit; & apud Papinianum

L.86. ff. de Lib. VI. *Respons.* legitur: *Pannonium Avitum, cum in acquir. vel amitt. Cilicia procuraret,* (i. e. cum Cilicia p̄ræfet) *heredem institutum esse.* Hinc etiam sub Principibus *Pro-*

*curatorum Cæsaris, Principis, vel Imperatoris,* qui græce ἐπίγοτοι appellantur, ac in provinciis partibus fungebantur Præsidum, nomen atque dignitas orta, de qua tum alii, tum præsertim Jacobus Gutherius prolixè agunt; ut aliorum *procuratorum pu-*

*gustæ Cap. blicorum, e. c. Domus Augustæ, vel dominicæ, ratio-*

*nis, vel rei privatæ, metallorum &c.* quos idem Gutherius cum aliis recenset, nullam nunc faciam mentionem. Eadem significatio vocis seculis mediis non est incognita. In Petri Blesensis Epist. XLVIII. hæc verba leguntur: *nunquam tibi exhibuit sè Dominum sive Regem, sed quasi Procuratorem, Regni tui, h. e. Vicarium, vel locum tenentem.* Cangius chartam ex Buzelino in Glossario suo ex seculo XI. adducit, quo Flandriæ Comes Balduinus sè Philippi Francorum Regis, ejusque Regni Procuratorem & bajulum scribit, cui in Concilio Tolosano, *tuitio regni Philippi Regis Francorum tribuitur, eodem Cangio autore.* Quo ipso tamen negare nolim, præter *Vicarium Principis*, apud scriptores medii ævi, alia officia,

De Offi-  
ciis Do-  
mus Au-  
gustæ Cap.  
33. Lib. 3.

cia, ut *Senechal*, seu *Dapifer*, item *Admiralis* de-  
notari hac voce, quod tum *Cangius*, tum etiam  
*Hoffmannus* in *Gloslariis* suis, seu *Lexicis* observa-  
runt. Varia porro extant monumenta, in quibus,  
*Procuratoris reipublicæ* nomine, magistratus certus  
innuitur: quo significatu & hodie in Italia ista vox  
pasim auditur. Non ignotum etiam est, quod ver-  
bum *procurationis* pro *convivio* apud medii ævi scri-  
ptores accipiatur, & *lò procurare* idem sit ac exci-  
pere hospitio, & *convivio*; *Procurator* vero idem  
ac is, qui *convivio* excipit, vel *convivium* apparat.  
Hanc *procurationem* Dominis vasalli & subdit, Zieg. de  
Episcop.  
atque *Episcopis*, vel *Archi-Diaconis*, quum Ecclesiæ  
vilitabant, hæc debebant: circa quam *visitationem ec-*  
*clesiarum*, qua: & ipsa interdum *procuratio* vocatur,  
cum multi *Episcoporum* in abusum illam traxerint, &  
converterint in impias exactiones, pasim leguntur  
querimoniae, & extant *Pontificium Constitutiones*. Lib. 3. c. 26.  
Sed quicquid de ea sit *procuratione*, hæc vocis si-  
gnificatio ad negotium præsens haud potest appli-  
cari. Posthæc si munus *Comitis Palatini Saxonie*, §. 26. Spi-  
quod eo tempore apud *Thuringos* fuit, & tempus z. 3. de  
respiciamus, quo literæ istæ exaratae sunt, manifesta Canonic.  
indicia se produnt, nullum aliud munus, quam *Vi-*  
*cariatnm Imperii*, per *procurationem* istam intelligi  
posse. Postquam enim nemo dubitat *Comitem Pa-*  
*latinum ad Rhenum*, ratione *Principatus*, seu *Comi-*  
*tatus Palatini*, jam dudum ante *Auream Bullam*,  
minimum

minimum jam Friderici I. temporibus, vicarium munus imperatorum sine dubio gesisse, idque tum vacante throno, tum absente Cæsare; non est, cur dubitemus, idem jus provisionis ob eandem comitiam palatii per partes Germaniae juris Saxonici *Henricum* habuisse. Plane Aurea Bulla, anteriorum gestorum interpres, Saxoniae Ducem cum Comite Palatino Rheni *eodem* jure provisionis gaudere, asserit, *Cap. V.* §. i. quam provisionem ex jure Comitatus Palatinii §. i. derivat. Et licet verba §. II. *illustrem D. Saxoniae, Sacri Imperii Archimareschallum*, urgere velis in contrarium; facilis tamen responsio est, per illa subjectum definiri, quod Vicariatum gerit, non causam & originem iis contineri, quæ in verbis: & *eodem provisionis jure*, ac præcedenti paragrapho est querenda. Demonstratur verbis istis: *illustrem Saxoniae Ducem &c.* quis gerat Vicariatum, non quatenus gerat: præstruitque Aurea Bulla, Palatinatum hunc ad Saxoniae Duces ex Ascaniis tum pertinuisse; quamvis *Misniae* Marchiones jus suum hac parte sibi etiam non destiterint vindicare, usque dum *Fridericus Bellicosus* una cum Ducatu Comit. *Saxonico*, beneficio *Sigismundi*, stabili perpetuoque *Palat. Sax.* §. ii. 19. 20. nexus Palatinatum possidere cœpit, atque ad posteros transmisit Neque etiam, in his partibus Saxonici Palatinatus Comiti Palatino ad Rhenum quicquamni re- spondetur. ullibi legimus; aut quenquam alium, quam *C. P. S.* munere

munere hoc vicario ibidem defunctum esse, reperi-  
mus. Eo anno porro, ubi Beneventi diploma Fride-  
rici II. ultimo Junii datum, Cæsar ultra Alpes in *Italia*  
commoratus est, atque sequenti quoque anno ibique  
substitut, ut adeo omnino opus fuerit, illis tempori-  
bus in Germania fuisse, qui vicarium regimen obi-  
ret. Evidem ignotum non est, *Fridericum II.* jam  
anno XXXVII. in Comitiis Spirensibus curasse, ut fi-  
lius ejus *Conradus* adhuc puer, antea in Austria Rex  
Teutoniæ designatus, denuo eligeretur, vel facta  
jam electio comprobaretur; ut ex *Chronico Hirsgau-*  
*Afia Ele-*  
*viensi*, magnoque *Bellico*, & *Annalibus Gotofredi*  
*Hionis ex-*  
*Monachi* satis constat: ut adeo haud opus fuisse vi-  
*bibet Dn.*  
deatur, alium Vicario munere eo tempore defungi,  
*Leibnizius*  
postquam Cæsar in *Italiam*, unde nunquam rediit,  
*in Prodromus*  
pergens, filium *Conradum Regem* denuo electum in  
*mo. Jur.*  
*Gent. n. II.*  
Germania reliquit. Quoniam tamen tenera ætas  
*Conradi* effecit, ut non commode rebus Imperii præ-  
esse potuerit, alterius opera in administranda publi-  
ca re utique utendum fuit. Fit etiam mentio in ipso  
diplomate *Beneventano Conradi Romanorum in Re-*  
*gem electi*: quæ res vicarium munus *Henrici* firma-  
re mihi videtur. Quod si enim verba expendamus,  
prout apud *Schubartum*, & *VVeckium* leguntur, ne-  
scio, an alias sensus, quam hic ex illis se prodat, *Hen-*  
*ricum Conradi Romanorum Regis procuratorem,*  
h.e. Vicarium per Germaniam fuisse, atque adeo sic  
verba illa: *dilecti filii nostri Conradi Romanorum in*  
*Regem*

*Regem electi, ad titulum Henrici, non ad verba sequentia, petitionem &c. pertinere. Trahere tamen eo videtur Tenzelius, dum inter verba: Procuratoris Germaniae, & verba: dilecti filii nostri, τὸ & inferit, ut scil. hic sensus esse videatur, tum ad petitionem Henrici, tum Conradi, beneficium Henrico illustri datum esse. Sed nescio an hæc intercalatio assensum mereatur. Nam & VVeckius, qui sine dubio authenticum inspexit, & Schubartus, qui a viro rerum perito & prudenti exemplar accepit, particulam illam non habent; nec credibile est, diligentissimos hosce viros eam per incuriam neglexisse: & series verborum etiam non videtur pati insertionem vocalæ illius. Nam si de duplice petitione, tum Conradi, tum Henrici Raponis ageret Imperator, stylus secundum numerum plurium ducendus fuisset; cum tamen verba insequentia: fecit, cuius justis precipibus &c. inhuant, Cæsarem de uno tantum petente locutum esse. Non vana conjectura est Paulini, hanc ipsam *procurationem*, seu *Vicariatum* huncce viam parasse *Henrico* ad dignitatem imperialem: notum enim est, adversus *Fridericum II.* ipsum, auxiliante Pontifice, Anno XLVI. Cæsarem hunc electum esse, parum quamvis felici successu. Cæterum hanc *procurationem*, vel *vicarium* hocce munus *Landgraviatui Thuringiae* annexum fuisse, non *Palatinata*.*

*C. IV. No-* tui *Saxonico*, quod probabilius viro nobilissimo, ne*tii. Saxon.* scio, ob quas causas, quia eas non addit, videtur, qui sub §. 6.

sub nomine *Giovanni Germaniam Principem* edidit,  
nullum idoneum nobis argumentum suppetit: quin  
potius *Palatinatus* adhæsisse, tum *Comitis Palatini*  
muneris ratio, cuius dignitas in *Saxonia* distincta a *Ducali* fuit, & primas cum illa tulit, tum exemplum  
*Comitis Palatini* ad *Rhenum* satis evincit. *Nescio*  
etiam, cur laudatus vir ad ecclesiasticos *Principes*, &  
qua ratione, officium hoc velit restrictum. Cui in-  
terim in eo haud refragabor, quod procuratio hæc  
vel vicaria potestas ad regiones juris *Saxonici* tan-  
tum pertinuerit, secundum regulam nempe: nam &  
casus dari potuit, ubi per universam *Germaniam*  
munus hocce a *Comite Palatino Saxonie* jussu *Cæ-*  
*saris* exercendum: quod tempore *Maximiliani I.* &  
*Friderici III. Saxonis* contigit, ut pluribus docet *Jo-*  
*hannes Joachimus Mullerus* in eruendis *Comitiorum Reichs-*  
*actis* studiosissimus pariter ac doctissimus vir, cui ob *Tags-*  
*id literaria res quam plurimum* debet. Ut adeo *Staat.*  
verba *Sacri Imperii per Germaniam I. Germaniae* in *Conf. Spec.*  
sensu legali accipienda sint. Id quod etiam fieri de-  
bet in diplomate *Rudolphi I.* quo *Ludovico Comiti*  
*Palatino Rheni*, tanquam *Rectori & Gubernatori Sa-*  
*cri Imperii*, in casum mortis suæ committit *Austriam*  
ac *Styram*: quod illustris *Leibnizius Codicis Juris*  
*Gentium* alteri parti inseruerit. Meretur hoc *No. X. a.*  
thema, ut data opera curatius excutiatur: quod  
insigne argumentum præbet pro *Saxonico vivo Cæsa-*  
*re Vicariatu*. Non negandum est, desicere *Scriptores*,

& monumenta, ex quibus satis illustrari possit. Interim dies diem docet, & subinde alia etiam agentibus unum alterumve se prodit, quod in tenebris  
huc usque latuit. Et ideo omnibus facile condonari possent errores, si qui in rebus hisce antiquis &  
obscuris committantur. Nobis de hac re nunc latius agere non est concessum, qui & pauca haecce  
tumultuaria opera, occasione data a nobilissimo Can-  
didato juris JOHANNE EHRENFRIDO MAR-  
TINI ex Vicariatus argumento publice differere in-  
stituente in chartam conjecimus. Nunc vero de vita  
illius & laudabiliter gestis ex more institutoque ma-  
jorum quadam in medium sunt proferenda. Pa-  
triam sortitus est noster per nascendi sortem, quæ  
Kal. Julii MDCLXXXIX contigit, in montibus  
*Sudetis*, *Grumbaynam*, quem locum vicinasque sylvas  
celebris quondam Abbatia, & liberatio *Alberti Sa-*  
*xoniæ Ducis e plagiiorum manibus nobilitavit.*  
Parentes habet honestos, & patrem quidem consul-  
tissimum virum, JOHANNEM JACOBUM  
MARTINI, qui jamdudum inclaruit in foro, &  
per XXX. annorum spatia caussas feliciter, & cum  
applausu egit. Mater ANNA DOROTHEA,  
matrona præstantissima, ex non ignota, sed clara fa-  
milia CRUSIANORUM oriunda. Quæ omnium  
bonorum parentum prima cura & solicitude est, ut  
tenera ætas liberorum statim, ac quidem per natu-  
ram fieri potest, Christianismi, & bonarum artium  
præ-

præceptis affvescat ; illa etiam his nostri parentibus  
fuit : atque adeo nihil eorum intermisere , quod ad  
liberalem institutionem, educationem, doctrinamque  
puerilem pertinere videbatur. Quod studium cre-  
vit, quum bona indoles filii se magis magisque pro-  
deret ; effecitque ut optimos feligerent præcepto-  
res, quibus nostrum darent erudiendum. Fuere in-  
ter hos M. JOHANN. CHRISTIANUS VVEID-  
NERUS, qui in Porta ad Salam tum verbum divi-  
num docet, tum juventutem instituit in bonis arti-  
bus ; BERNHARDUS KLEPPERBEIN Jurium  
nunc Doctor & celebris apud Lipsienses causarum  
patronus : denique DANIEL RÜNGIUS qui hoc  
tempore in *Borussia Tornoviae* gregem Dei verbo  
divino pascit. Postquam sub his clarissimis viris  
bene profecit, in *Annabergensum* Scholam ductus  
est, atque fidei doctissimi GIDEONIS GELLII Re-  
ctoris illius Iudi commissus. Sed quia Vir hic *Dres-  
dam* evocabatur, parentes mutarunt consilium, at-  
que nostrum CHEMNITIUM miserunt, ubi qua-  
triennium consumpsit, & sub fidelissimis præstantis-  
simisque præceptoribus M. GOTTOFREDO  
SCHULZIO ac M. DANIELO MULLERO stu-  
dia scholastica feliciter absolvit, ac omnibus illis in-  
struxit animum, quæ viam ad majores res sternere  
solent. Tum vero maxime, uti quidem etiam alias,  
curam nostri suscepit nobilissimus patruus ejus, D.  
LUDOVICUS GUNTHER MARTINI, JCtus

percelebris, & Stolbergensis Consiliarius, cui res fo-  
rensis ob egregios commentarios, quibus magna  
cum diligentia, laboreque haud exiguo ordinem iu-  
dicatorum illustravit, quam plurimum debet. Hoc  
svasore autoreve Halas anno MDCCVII. se pri-  
mum contulit, atque inter almæ Fridericianæ cives  
receptus est. Dedit vero ante omnia operam Phi-  
losophicis studiis, quibus carere non potest, cui ad  
artem juris accedere animus est, & cupido. Sectat-  
us vero est tum in his rebus, tum in juris studiis  
excellentissimos illius Academiæ Professores, JO-  
HANNEM SAMUELEM STRYKUM, JOH. PETRUM LUDEVVIG, JUSTUM HENNIN-  
GUM BOEHMERUM, JOHANNEM FRIDE-  
MANNUM SCHNEIDERUM, nec non GOEZ-  
SCHIUM & BECKERUM, quorum omnium ege-  
giaz institutioni multa fert accepta. Supererat eo  
tempore magnus ille Germaniæ JCtus, illustris  
STRYKIUS, quem audivisse & Doctorem habuisse  
noster sibi impense gratulatur: nec minus sibi glo-  
riæ ducit, celeberrimi THOMASII auditorio adfu-  
isse. Sub consultissimi BECKERI moderamine de  
*exiguo usu actionis ad Palinodiam* publice verba fe-  
cit. Triennio confecto in ista Academia ad no-  
stram VVittebergam venit, atque mox nobis omni-  
bus, qui publica auctoritate jus docemus, innotuit,  
scholasque nostras assidue frequentavit. Hospitio  
usu consultissimi AUGUSTINI LEYSERI, qui Re-  
gio

gio jussu munere Professorio extra ordinem fungitur, peculiari ratione fidem & doctrinam ejus tibi prodeesse voluit, & ex quotidiano commercio, quod cum illo intercessit, per multum commodi est consecutus : de cuius ob hanc causam singulari affectu multa honorifice prædicat. Ascendit etiam cum ipso bis in cathedram publicam, ac nobile argumentum, *collationem scil. priisci juris Saxonici cum Romano, & moribus hodiernis excussit*, ac theses suas bene tuitus est. Præter hæc D. KRAUSIUM præstantissimum Advocatum Doctorem habuit, atque ab illo quomodo in foro causæ tractandæ sint, & orandæ, didicit atque percepit. Stitit se dehinc nostro Ordini, ac ita nobis probavit, ut dignus judicaretur Advocationis muneris, locique inter Candidatos nostros. Secessit postea ad suos, & optimo patre ductore tyrocinia forensia fecit, expertusque est, qua ratione ea, quæ in scholis didicit, in usum debeant deduci. Rediit nuper eo animo ad nos, ut cœptis instaret, atque perficeret opus, cui manum admovit. Altera itaque vice, quod modeste petiit, ad scrutinium admissus est, nobisque applaudentibus ingenii sui vires abunde exposuit. Non potuit ergo denegari ei facultas publicum specimen edendi. Cujus causa ex ratione præsentis temporis insigne & arduum argumentum elegit atque *de finibus Vicariatus utriusque* constituit ; eruditam dissertationem tueri. Faciet id sub præsidio Magnifici Domi-

Domini nostri Pro - Rectoris, excellentissimi GRIB-  
NERI, Patroni & Collegæ nostri honoratissimi, cu-  
jus auctoritas efficiet, ut omnes, qui ad nostram li-  
terariam Rempublicam pertinent, lubentes, spero,  
actui huic interesse velint. Officii tamen ratio eti-  
am postulat, ut illustrissimum Dominum Comitem,  
perillustrem Dominum Baronem, Patres etiam &  
Cives Academiæ, omnesque alios, quibus hæc stu-  
dia non displicant, religiose & officiose rogem &  
exorem, ut præsentiam suam nobis in hac panegyri  
solenni commodare velint. P. P. Dom. XIX. post  
Trinit. MDCCXI.

---

VVITENBERGÆ,

LITERIS GERDESIANIS.

Domi-

Wittenberg, Diss., 1711 H-2  
X 228 3123

ULB Halle  
005 309 336

3





B.I.G.



7033. 1711 18a  
**DECANUS**  
**ORDINIS JURIDICI**  
IN ACADEMIA VVITENBERGENSI,  
**CASPAR HENRICUS**  
**HORNIUS, JC.**

Codicis Prof. Publ. Confiliarius Regius,  
& Electoralis in Senatu Provocationum,  
nec non Collegiorum Juridicorum, quæ hic sunt,  
Assessor,

LECTURIS OMNIBUS

S. P. D.

